

duos radios ex illo progressos & oculum moventes, concurrere sentimus, id cum nunquam non fieri per lineam rectam anima experta sit, huic visioni adsueta, quodocunque objecti alicujus sive puncti duos radios excipit, directe eos ex illo puncto prodiisse judicat, in quo retro continuati concurrerent, nec attendit repræsentari sibi objecti imaginem aliquando quoque per radios reflexos, utpote cujus reflexionis, aut quid radiis exceptis in via acciderit, potentia sensitiva qua talis ignara penitus est.

VI.

Ut autem pateat quomodo in quolibet casu tales duo radii in speculum incidant atque ab illo reflectantur, primo observandum est, quod & Rohaultius l. c. monet, quamvis unum quodque punctum objecti visibilis multitudinem radiorum mittat, qui speculi superficiem totam cooperiunt, solummodo tamen eorum quosdam oculum posse attingere certo cuidam loco adhærentem. Nam cum angulus incidentiæ angulo reflexionis æqualis esse debeat, in aprico est non plures oculum intus ferire posse radios quam extremas pupillæ ambitus capit, non enim possibile est ut plures radii quam unus æqualitatem angulorum in incidentia & reflexione fervent, quamprimum enim v. gr. radius CE sursum paululum se reclinaret, angulus ille, ei, qui est reflexionis, inæqualis foret, vel si æqualis efficeretur, tunc radius reflexus oculum præteriret. Dato itaque speculo, objecto & oculo, (positu in generales Catoptrices regulas non impingente) ducendus primum radius ex aliquo objecti puncto in speculum, qui reflexus pupillam superne v. gr. in E introgressurus videtur; quod si vero spes fefellerit, pro re nata corrigendus erit radius,